dibus permanenti iudicium dampnationis accumulet. Spiritus quoque cui re
sistis non liberet maledictum a labiis suis. Crede enim ne sint hec tibi
infructuosa que utique essent preter et dampnosa. Quis ergo autem qui testimonium
habet effusi non sine causa sanguinis Christi nisi qui continet a peccatis. Se
curus enim peccati est qui peccatum fecit ut si deinceps continere potuit et iugiter
abstinere misericorde securitatis certissimum sit testimonium redemptionis quia
separatus sine dubio sanguis Christi. Verum non sufficit peccatori continentia si non as
sit etiam penitentia. Habeat ergo et ab aqua testimonium qui laborat in
gemitu suo lavans per singulas noctes lectum suum. Sicut enim sangu
is ille redemit ut non regnet peccatum in vestro mortali corpore sic aqua
illa abluet ab hiis peccatis que commisimus ante. Sed quid erit quod longo
catenarum usu carceris habitatione crudeli confracti atque collisi desti
timus in via vite? Invocemus spiritum vivificatorem et adiutorem confiden
tes quod dabit pater qui in celis est spiritum bonum petentibus se. Sane novum
supervenisse spiritum certissime quem conversatio nova testatur. Iam ut breviter
repetam a sanguine et aqua et spiritu habere testimonium si contines a pec
catis si digne agis penitentie fructus si facis opera vite.

Sermo viij. In diebus rogationum de tribus panibus.

Quis vestrum habebit amicum et ibit ad illum media nocte etc.
Quid est quod amicum unum perhibet advenisse nec trium contentus
est habere panem unum? Putasne tam voracem estimabat a
micum ut non possit sufficere panis unus? Nam uni quidem tres ap
ponere panes consequens omnino videtur. Putas ergo cum uxore et manci
pio hominem advenisse ut suum cuique panem apponere velit amicus?
Ego quidem amicum venientem ad me non alium intelligo quam meipsum. Ne
mo quippe carior michi nemo germanior est. Ad me ergo de
via venit amicus cum transitoria deserens ad cor redeo sicut scriptum
est: Redite prevaricatores ad cor. Deinde tunc vere sibi quis amicus
est cum de via redit quoniam qui diligit iniquitatem odit animam suam. A
die itaque conversionis mee de via ad me venit amicus. Venit de re
gione longinqua ubi pascebat porcos et ipsorum siliquas insatiabiliter
esurire solebat. Venit fame laborans confectus media attenuatus
ieiunio. Venit nocte habens incurie animi. Sed heu me pauperem
elegit hospitem et vacuum ingreditur habitaculum. Quid faciam ami
co huic misero et miserabili? Omnino enim non habeo quod ponam ante
illum. Frater amicus est sed ego mendicus. Quid venisti ad me amice
in necessitate tanta? Non sum medicus et non est in domo mea panis. Festi
na inquit discurre suscita amicum illum magnum quo maiorem dilec
tionem nemo habet sed neque substantiam ampliorem. Quere pete pulsa
quia omnis qui querit invenit qui petit accipit et pulsanti aperietur.
Clama et dic: Amice commoda michi tres panes. Qui sunt panes isti
frater? Utinam mereamur accipere eos. Forte enim et ipsos nemo scit nisi

qui accipit. Credo tamen petendos nobis esse tres panes veritatis
caritatis et fortitudinis. His tribus egeo me faciente veniente ad me
amico veniente autem ad me ut dixi cum uxore et mancipio. Deficit quip-
pe in itinere anima mea. ipsa est enim vir. prae ignorantia veritatis. languet
et voluntas prae inedia dilectionis. infirmatur caro prae inopia forti-
tudinis. nam et ratio minus intelligit quae agenda sunt et voluntas
minus diligit intellecta et adhuc corpus quod corrumpitur aggra-
vat animam ut non quaecumque volumus illa faciamus. Aruit cor meum et
et corpus meum quia oblitus sum comedere panem meum. neque enim pate-
re- hinc deferremus si ingiter exercitium esset ratio in inquisitione ve-
ritatis voluntas in desiderio caritatis. caro in operatione virtutis. Co-
moda ergo michi amice tres panes ut intelligam ut diligam ut fa-
ciam voluntatem tuam. Sic enim vivit et in talibus vita spiritus mei dicen-
te scriptura quoniam vita in voluntate eius.

In ascensione domini de evangelica lectione. Sermo VIII^9.

Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Ihe-
sus. Apparuit vero benignitas et humanitas salvatoris
Multam enim fiduciam prestat quod libentius assit ora-
ni incumbentibus quia recumbentibus quidem non dedignatur
adesse. Apparuit magis benignitas eius qui cognovit fig-
mentum nostrum nec dedignatur infirmitates nostras si misereatur. Sic tamen
ut citius in desiderio non faciamus sed in veritate quod considerimus iux-
ta apostolum. Sive manducatis inquit sive aliquid aliud facitis omnia in
gloriam dei faciamus. potest tamen quod recumbentibus apparuit ad id quoque re-
ferri quod alibi calumpniantibus Iudeis adversus discipulos non ieiunantes
respondet. non possunt inquit filii sponsi lugere quamdiu cum illis est spon-
sus. Et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis quia his
qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Audis Christum discipulos
increpantem primo quod duriores fuerint et exprobrantem nec tamen sed
ea hora qua eis corporalem presentiam subtracturus videri poterat magis ab
increpatione temperare debuisse. Noli ergo indignari dilecte si te quoque
aliquis Christi vicarius increpaverit. id enim exhibet quod Christus ascensurus
ab eis in celum sub specie legitur exhibuisse discipulis. Sed quid est fratres quod
dicit his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. Aut qui fue-
runt quos bene ordo gloriosum domine resurrectionis meruerunt videre mi-
raculum. Neque enim resurgentem illum quisquam legitur aut creditur vidis-
se mortalium. Restat ergo de angelis accipiendum qui utique resur-
rectionis testimonium perhibentibus apostolos pusillanimitatis hesitavit. Iam
vero ut fiebat quod scriptum est benignitatem et disciplinam et scientiam doce
me visitationis gratiam exprobrationis censuram. perditionis sed doc-
trina sequitur et dicat. qui crediderit et baptizatus fuerit salvus
erit. Sed quid ad hec dicimus fratres. Magna nimis videtur securitas